

240 (Q. 259, 260) De Missis Votivis solemnibus

ipse anniversarium recoluit a suscepto sacro Presbyteratus ordine. — Hujusmodi exceptio confirmat regulam.

Q. 259. Quibus diebus prohibentur Missæ Votivæ solemnnes?

R. Prohibentur Missæ Votivæ solemnnes sequentibus tantum diebus:

1º in Dominicis majoribus primæ classis, quæ sunt: I Adventus, I Quadragesimæ, de Passione, in Palmis, in Albis (Octava Paschæ), et I post Pentecosten (SS. Trinitatis);

2º in omnibus Festis duplicibus primæ classis;

3º in Feriis privilegiatis, quæ sunt Feria IV Cinerum, et Feriæ omnes Hebdomadæ sanctæ;

4º in Vigiliis privilegiatis Nativitatis Domini, et Pentecostes.

(Cfr. Decret. S. Rituum Congregationis 30 Junii 1896, n. 3922. § II, n. 2.)

Permittuntur itaque Missæ Votivæ solemnnes:

1º in Festis duplicibus secundæ classis, duplicibus majoribus, et minoribus, et inferioris ritus;

2º in Dominicis majoribus secundæ classis, et in omnibus Dominicis communibus;

3º infra Octavas omnes, etiam privilegiatas;

4º in Vigilia privilegiata Epiphaniæ, et in Vigiliis minoribus;

5º in Feriis omnibus, etiam majoribus, quæ non sunt privilegiatae.

Q. 260. Quid faciendum est, si diebus prohibitis aliqua Missa Votiva solemnis præscribitur?

R. In tali casu celebranda est Missa solemnis vel cantata Officio conformis, cum vel sine *Gloria*, cum Orationibus, cum vel sine *Credo*, etc., prout illa Missa exigit; sed Orationi principali hujus Missæ addenda exigit; sed Orationi principali hujus Missæ addenda est, sub unica conclusione, Oratio Missæ Votivæ; et sic Missa diei currentis substituitur Missæ Votivæ solemnis. Quod si Missa diei vi Rubricarum plures haberet Orationes, istæ dicentur sub altero *Oremus*, et cum altera conclusione. (Cfr. Q. 113, 1º.)

EXEMPLUM. Supposito quod Episcopus præscribat Missam Votivam solemnem per Diœcesim celebrandam *de Spiritu sancto*.

De Missis Votivis solemnibus (Q. 261, 262) 241

cto, die 22 Julii, in Festo duplici minori S. Mariæ Magdalena; in iis locis quorum S. Maria Magdalena est Patrona, vel in iis Ecclesiis quarum est Titularis, in quibus ejus Festum celebratur solemniter ritu duplici i classis, non poterit præscripta Missa Votiva *de Spiritu sancto* celebrari; sed in Missa solemnii S. Mariæ Magdalena, Orationi propriae hujus Sanctæ addenda erit, sub unica conclusione, Oratio Missæ Votivæ *de Spiritu sancto*.

Q. 261. Si Ordinarius indicat Missam Votivam solemnem, in Dominica cantandam, ex. gr., pro pace; queritur pro quo hæc Missa specialiter applicanda sit?

R. Hæc Missa, sive Votiva, sive de die cantetur, applicanda est pro populo, si sit Missa Parochialis, quæ celebratur a Parocho vel ab alio ejus vices subeunte; si autem non sit Missa Parochialis, libera est ejus applicatio. Hæc Missa vi inductionis Ordinarii specialiter, ex. gr., pro pace, applicari non debet; Ordinarius enim non præscribit, ut Missa pro pace specialiter applicetur, sed, sicut communiter fieri solet, et prout Quæstio supponit, tantummodo indicit Missam Votivam in Dominica cantandam. Hæc igitur Missa, pro quocumque specialiter applicetur, per preces et orationes quæ in eadem dicuntur, tendit ad finem ad quem ab Ordinario est indicta; sicut Missæ in honorem Sanctorum tendunt ad illos Sanctos honorandos, etiamsi pro vivis aut defunctis offerantur. (Cfr. Conferentiæ ecclesiasticæ Diœcesis Mechliniensis, anni 1872, ex Liturgia Q. III.)

Q. 262. Quænam observanda sunt, in Missa Votiva solemnii, pro diversis partibus Missæ?

R. Ex Rubricis generalibus, et ex variis Decretis S. Rituum Congregationis, sequentia proponuntur observanda pro diversis partibus Missæ Votivæ solemnis:

I. Hymnus *Gloria in excelsis* semper dicitur in omni Missa Votiva solemnii; nisi Missa celebretur in colore violaceo, quia tunc Hymnus omittitur.

II. Quoad Orationes in Missa Votiva solemnii, dicit Missalis Rubrica (Tit. IX, n. 14): « In Missis Votivis, quando solemniter dicuntur pro re gravi, vel publica Ecclesiæ causa, dicitur una tantum Oratio ». Omittitur itaque quæcumque Commemoratio occurrentis Officii, etiam Dominicæ, Feriæ majoris, etc., etsi una tantum Missa in Ecclesia celebretur; id autem intelligitur de

242 (Q. 262) De Missis Votivis solemnibus

Ecclesiis, ubi onus Missæ Conventualis (cfr. Q. 9) non est, quales sunt Ecclesiae nostræ parochiales.

III. Sequentia in Missa Votiva solemnii, æque ac in Missa Votiva privata (cfr. Q. 249), semper omittitur.

IV. Symbolum *Credo* semper dicitur in omni Missa Votiva solemnii, etiamsi celebraretur de Sancto, in cuius Festo Symbolum per se non dicitur.

Excipe casum Missæ Votivæ solemnis quæ celebatur in Feriis hebdomadæ cum colore violaceo, verum si Missa Votiva solemnis in colore violaceo celebratur in Dominica, tunc etiam Symbolum dicitur.

V. Præfatio in Missa Votiva solemnii iisdem regulis regitur quibus in Missa Votiva privata (cfr. Q. 251, I.)

Notare hic juvat duos casus, qui regulis positis quidem commode solvuntur, sed pro quibus forsitan dubium occurtere posset, nempe :

1º In Missa Votiva solemnii numquam dicitur Præfatio Festi occurrentis, in quo celebratur.

2º Si Missa Votiva solemnis celebretur in Dominica, et si ipsa Missa Votiva, aut Octava, aut Tempus Præfationem propriam non habeat, Præfatio dicitur de SS. Trinitate.

**EXEMPLA.** Si Missa Votiva solemnis præscriberetur celebranda de S. Joseph, die 25 Julii, in Festo duplici 2 classis S. Jacobi, Apostoli, quod Præfationem in Missa propriam de Apostolis habet; nulla jam occurrente Octava cum propria Præfatione, nullaque data Temporis anni propria Præfatione, in hac Missa Votiva solemnii, si celebratur infra hebdomadam, dicetur Præfatio, non de Apostolis sed communis.

Quod si dies 25 Julii occurreret in Dominica, in eadem Missa Votiva solemnii de S. Joseph, diceretur Præfatio, non de Apostolis, ut supra dicitur, sed de SS. Trinitate. Eadem Missa Votiva solemnis de S. Joseph si fuerit prescripta in Festo SS. Rosarii B. Mariæ V. (Dominica I Octobris) dicetur Præfatio SS. Trinitatis; — in Festo Nativitatis B. Mariæ V. (8 Septembris), dicetur Præfatio B. Mariæ V., occurrente jam Octavæ Nativitatis B. Mariæ V. primo die; — in aliquo die infra hebdomadam Passionis, dicetur Præfatio de Cruce, quæ propria est Tempori Passionis in anno ecclesiastico (cfr. QQ. 158, 159).

VI. Oratio infra Actionem, seu Canonem, quæ incipit: *Communicantes*, quæ propria habetur in Festis et infra Octavas Nativitatis Domini, Epiphaniæ, Paschatis, Ascensionis Domini, et Pentecostes, propria etiam

De Missis Votivis privilegiatis (Q. 263, 264) 243

dicitur in quacumque Missa Votiva solemnii infra has Octavas celebrata, etiamsi propriam Præfationem Missa Votiva habeat. (Cfr. Q. 251, II.)

VII. Quoad *Ite missa est*, eadem regula observatur, quæ data fuit pro Missis Votivis privatis (Q. 252, I); itaque dicitur, quando in Missa Votiva solemnii dictus fuit Hymnus *Gloria in excelsis* (vide supra ad I); secus dicitur *Benedicamus Domino*.

VIII. Ultimum Evangelium tandem, in Missa Votiva solemnii sicut in privata, semper dicendum est Initium S. Evangelii secundum Joannem; quamvis Missa celebretur in Dominica, vel Vigilia, vel Feria proprium Evangelium habente (cfr. Q. 252, II).

Q. 263. Quid notandum est pro cantu in Missa Votiva solemnii?

R. In Missa Votiva solemnii adhibetur semper tonus festivus, seu solemnis, pro Orationibus, Præfatione, Oratione Dominica, et *Ite missa est*; et quando celebatur in colore violaceo, *Benedicamus Domino* cantatur etiam in tono solemnii (quemadmodum *Ite missa est* in Festis duplicitibus), sicuti describitur in Canone Missæ in fine. (Cfr. Tractatus Sacræ Liturgiæ: *Cæremoniae*, Appendix II.)

§ 3. DE MISSIS VOTIVIS PRIVILEGIATIS

Q. 264. Quænam sunt præcipuae Missæ Votivæ privilegiatae de quibus hic dicendum est?

R. Præcipuae Missæ Votivæ, quæ etsi solemnes stricto sensu dici nequeant, tamen aliquo modo privilegiatae dici possunt (cfr. QQ. 205 in Nota, et 207), sunt sequentes:

I. Missa quam celebrare permittunt Rubricæ Missalis (Tit. VI) de Festo transferendo.

II. Missæ Votivæ quatuor Festorum quorum Solemnitas est transferenda in Dominicam, juxta Indulatum 9 Aprilis 1802, Cardinalis Caprara.

III. Missa Votiva quæ celebratur tempore Precum XL Horarum, aut, ex Indulso speciali, in Adoratione perpetua.

244 (Q. 265) De Missis de Festo transferendo

IV. Missa Votiva dicta Aurea, quæ ex immemorabili consuetudine celebratur Feria IV Quatuor Temporum Adventus.

V. Missa Votiva in Anniversario Electionis seu Consecrationis Episcopi.

VI. Solemnitas quæ institui potest in honorem Sancti Joannis Berchmans, in nostra Diœcesi, Dominica quæ in mense Novembri tertia occurrit.

VII. Missa Votiva de SS. Corde Jesu, quæ celebrari potest in Feria sexta quæ prima in unoquoque mense occurrit.

VIII. Missa quæ celebratur de Dedicatione, in ipso die Consecrationis seu Dedicationis Ecclesiæ, aut Altaris.

IX. Missa Votiva pro sponso et sponsa.

Ex enumeratione istarum Missarum jam statim patet, ipsas non habere conditions Missæ Votivæ solemnis stricte dictæ; etenim: causæ plerumque non sunt stricte graves, neque publicæ; sed sunt ex circumstantiis valde rationabiles, quæ aliquo privilegio mereantur gaudere; Ordinarii, seu Episcopi speciale præceptum si pro ipsis desit, ex eis tamen quædam, vel a Rubricis præscribuntur, vel ab Apostolica Sede indulgentur, vel ex consuetudine permituntur; tandem, ex ipsis nonnullæ solemniter celebrari debent, aut saltem in cantu, aliæ tamen legi tantum possunt (cfr. Q. 207).

Singularum privilegia et conditions, quæ stricte quidem interpretari debent, ex tenore Rubricarum, vel privilegiorum, in sequentibus proponuntur.

I. De Missa de Festo transferendo

Q. 265. *Quinam sunt duo casus, in quibus Rubrica Missalis permittit cantare Missam de Festo transferendo? Quid præcise tunc permittit Rubrica?*

R. I. Rubrica Missalis (Titulo VI) duos sequentes casus designat:

1º Quando Festum Tituli Ecclesiæ alicujus transferendum est, ob occurrentiam cum Festo, vel Dominicæ, quæ ipsi præferuntur.

2º Quando ob eamdem occurrentiæ causam, transferri debet Festum, ad quod celebrandum in aliqua Ecclesia quotannis datur extraordinarius populi concursus.

II. In utroque casu permittit Rubrica, ut in illa Ec-

De Missa de Festo transferendo (Q. 266) 245

clesia cantentur duæ Missæ, una de die, seu de Officio quod præfertur, alia de Festo transferendo. Quinimo, in Ecclesiis, ubi non est obligatio cantandi quotidie Missam, quales sunt omnes nostræ Dioecesis Ecclesiæ parochiales (obligatio enim hæc datur tantum in Ecclesiis cathedralibus et collegiatis), sufficit ut sola Missa de Festo transferendo cantetur.

Unica tantum Missa de hoc Festo potest cantari; reliquæ autem Missæ in hujusmodi Ecclesia celebratæ, sive solemnes sint, sive privatæ, omnes celebrari debent de Officio occurrente, quod præfertur.

EXEMPLUM. Supponitur quod S. Norbertus, Episcopus et Confessor, cuius Festum celebratur 6 Junii, sit Titulus alicujus Ecclesiæ, et quod die 6 Junii occurrat, ut fuit anno 1895, Feria V infra Octavam privilegiatam Pentecostes. Juxta regulas Occurrentiæ Officiorum, fit die 6 Junii Officium de Feria V infra Octavam Pentecostes, et Festum S. Norberti, etsi duplex primæ classis, utpote Titularis transfertur in primam diem liberam. Attamen, vi Rubricæ Missalis, potest in illa Ecclesia, in Feria V infra Octavam Pentecostes, solemniter celebrari vel cantari, non autem legi, Missa una de Festo S. Norberti transferendo.

Q. 266. *Quinam dies excipiuntur, in quibus Missa Votiva solemnis de Festo transferendo non poterit celebrari?*

R. Dies in quibus nullatenus hæc Missa Votiva de Festo transferendo poterit celebrari, excipiuntur sequentes, juxta Rubricam reformatam Decreto S. Rituum Congregationis, 11 Decembribus 1897:

1º Dominicæ majores 1 classis, scilicet: I Adventus; I Quadragesimæ; Dominica Passionis; Dominica in Palmis; Dominica in Albis (I post Pascha); Dominica SS. Trinitatis (I post Pentecosten).

2º Festa duplia primæ classis: Paschatis cum duabus diebus sequentibus; Pentecostes cum duabus diebus sequentibus; Nativitatis Domini, Epiphaniæ, Ascensionis Domini, SS. Corporis Christi.

3º Feriæ privilegiatae: IV Cinerum, et omnes Feriæ Majoris Hebdomadæ.

In his diebus non tantum non potest Missa Votiva celebrari, sed nequidem Commemoratio Festi transferendi fieri potest. (Decret. S. Rituum Congregationis, 16 Aprilis 1853, n. 3009, ad 2, antiqu. 5183, ad 13.)

**246 (Q. 267, 268) De Missis in Solemnitatibus**

Q. 267. Quomodo ordinanda est Missa de Festo transferendo?

R. Missa de Festo transferendo celebranda est eodem prorsus modo ac Missa Votiva solemnis pro re gravi, seu publica Ecclesiæ causa (cfr. Q. 262); itaque cum *Gloria, Credo, unica Oratione, et Evangelio S. Joannis in fine; quemadmodum supra (Q. 262) pro Missa Votiva solemnii dictum fuit.*

**II. De Missis Votivis quatuor Festorum, quorum Solemnitas transfertur in Dominicam sequentem.**

Q. 268. Expone rationem et circumstantias institutionis Solemnitatis quorundam Festorum, quæ in nostra Diæcesi celebratur.

R. Apostolicæ Sedis Officium est, servandæ ecclesiasticæ disciplinæ rationem ita moderari, ut locorum ac temporum circumstantiis opportune ac suaviter provideatur. Quapropter Summus Pontifex Pius VII, initio hujus sæculi, pro Galliarum Reipublicæ, quæ nostram patriam suæ ditionis fecerat, universo territorio, prout tunc existebat, constituto jam post perturbationis tumultum novo rerum ordine, deliberavit de contrahendo numero dierum Festorum, in quibus fideles eatenus tenebantur præcepto audiendi Missam, vacandique ab operibus servilibus. Statutum fuit, per Indultum pro reductione Festorum, datum Parisiis 9 Aprilis 1802, ab Emo Cardinali a Latere Legato Caprara, in posterum solummodo esse observandos, præter Dominicos dies, quatuor dies Festos, scilicet, Nativitatis D. N. J. C., Ascensionis, Assumptionis B. M. V., et Omnium Sanctorum; in reliquis Festis vero fideles ab utroque præcepto censeri et esse absolutos; ea tamen lege, ut in diebus Festis suppressis, seu abrogatis, in omnibus Ecclesiis nihil de consueto divinorum Officiorum ordine ac ritu innovetur, sed omnia ea prorsus ratione peragantur, quæ et sicuti eatenus consueverant. (Festa abrogata indicantur Q. II, II, 3º.)

Exceptio tamen statuta fuit pro quatuor Festis, nempe Epiphaniæ Domini, SS. Corporis Christi, SS. Apostolorum Petri et Pauli, et Sanctorum Patronorum

**De Missis in Solemnitatibus (Q. 268) 247**

cujuslibet Dicecesis et Paræciæ, de quibus dicit Indultum quod « in Dominica proxime occurrente in omnibus Ecclesiis celebribuntur ». (Cfr. Indultum in Collectione Epistolarum Pastoralium pro regimine Archidiæcesis Mechliniensis, Tomo I (III), pag. 45.)

Variæ subinde exortæ sunt difficultates circa interpretationem Indulti, quoad celebrationem quatuor Festorum, pro quibus exceptio fuerat statuta quod in Dominica proxime occurrente celebrarentur. Ex Directoriis pro Ordine Officiorum Archidiæcesis Mechliniensis constat, quod hæc Festa anno 1803, propriis suis diebus totaliter fuerunt omissa, et translata etiam quoad Officium et Missam in Dominicas sequentes.

Ita, ex. gr., anno 1803, 5 Januarii, loco Vigiliae Epiphaniæ, celebratum fuit Festum S. Hilarii, ex 14 Januarii; 6 Januarii, loco Festi Epiphaniæ, Festum S. Pauli Eremitæ, ex 15 Januarii; 7 Januarii, Festum S. Marcelli, ex 16 Januarii; 8 Januarii, quæ erat Sabbatum, indicatur Vigilia Epiphaniæ; 9 Januarii, Dominica, Festum Epiphaniæ, cuius Octava celebrata fuit per totam hebdomadam sequentem; Feria II post Octavam, 17 Januarii, ordo regularis reassumptus fuit per celebrationem Festi S. Antonii, Abbatis. Et ita de ceteris. Hæc singularis confusio et permisso duravit partim usque ad annum 1805 inclusive.

Ex parte Vicarii Generalis Archiepiscopi Mechliniensis hac de re dubia fuerunt proposita Emo Cardinali Caprara, qui, Decreto dato Parisiis, 21 Junii 1804, varias tradidit regulas, quibus omnia opportune disponi poterant, et sequentia quoad quatuor Festa anno 1802 excepta statuit:

1º Officia Epiphaniæ Domini, SS. Corporis Christi, SS. Apostolorum Petri et Pauli, et Sanctorum Patronorum cujuslibet Dicecesis et Paræciæ, recitanda erunt a Clero tam privatim, quam publice in Ecclesiis, et Missa de eisdem Festis erit dicenda in proprio suo die.

2º In dicto proprio die fideles neque ad audiendam Missam, neque ad abstinentiam a servilibus operibus obligati erunt.

3º Sola Solemnitas præfatorum Festorum differetur in Dominicam subsequentem, in qua Officium quidem a Clero, tam publice quam privatim, et Missa recitabitur juxta Rubricas occurentes, seu juxta consuetum

248 (Q. 269) De Missis in Solemnitatibus

ordinem ; canetur tamen una Missa solemnis de Festo illo, more votivo, cum unica Oratione : minime omissa in Cathedralibus, aliisve Ecclesiis, in quibus Officium publice agatur, et adsit sufficiens numerus Ecclesiasticorum, altera Missa Conventuali de Festo occurrente. (Cfr. Decretum in Collectione Epistolarum supra citata, pag. 128.)

Notari potest quod Indulta hujusmodi aliis etiam regionibus concessa reperiuntur, pro iisdem, vel pro aliis quoque Festis, ad Solemnitatem in populo recolendam.

Q. 269. Quænam sunt quatuor Festa, quorum Solemnitas in nostra Diœcesi, juxta Indultum 9 Aprilis 1802 transfertur in Dominicam sequentem ?

R. Festa quorum Solemnitas, quando infra hebdomadam occurunt, transfertur in proximiorem Dominicam sequentem, sunt quatuor sequentia : Epiphania Domini ; Festum SS. Corporis Christi ; Festum Sanctorum Apostolorum Petri et Pauli ; Festum Patroni præcipui seu principalis cuiuslibet loci, scilicet civitatis, oppidi vel pagi (non vero Festum Titularis Ecclesiae).

NOTA. Quoad Festum Patroni loci, juvat sequentia addere : Indultum 9 Aprilis 1802 indicat Festa « **SS. Patronorum cuiuslibet Diœcesis et Paræciæ** » ; sequenti modo intelligenda est hæc indicatio :

1º Per **Patronos parochiæ** non intelliguntur Titulares Ecclesiarum, licet vulgo nomine Patronorum vocentur ; sed tantum proprii **Patroni locorum**, scilicet civitatis, oppidi vel pagi ; quorum solum Festa celebabantur olim cum feriatione, seu dupli obligatione audiendi Sacrum, et abstinendi, seu vacandi ab operibus servilibus.

EXEMPLUM : In civitate Mechliniæ, Festum S. Rumoldi, Episcopi et Martyris, quod celebratur 1 Julii, tamquam Patroni loci, habet Solemnitatem translatam in Dominicam pro tota civitate, pro omnibus parochiis civitatis ; Festum vero S. Catharinae, Virginis et Martyris, quod celebratur 25 Novembris, Titularis Ecclesiæ hujus nominis in civitate Mechlinensi, non habebit Solemnitatem translatam, quia S. Catharina, Titularis Ecclesiæ, non est Patrona loci, nequidem parochiæ S. Catharinae.

De Missis in Solemnitatibus (Q. 270) 249

2º Verba Indulti : « **SS. Patronorum cuiuslibet Diœcesis vel Paræciæ** », sic sunt intelligenda, quod in locis ubi non habetur specialis Patronus (quæ rara sunt in nostra Diœcesi), ibi transferenda sit Solemnitas Patroni Diœcesis. Sed notandum est, quod in Indulto supponitur Patroni Diœcesis Festum habuisse **ante Indultum** feriationem, seu duplicem de qua supra obligationem annexam ; jamvero S. Rumoldus tamquam Patronus totius Diœcesis Mechliniensis colitur tantum inde ab Indulto, seu concessione 20 Julii 1838, ejusque Festum celebratur ab omni clero ritu dupli primæ classis cum Octava, sed absque feriatione ; proinde nullibi in Diœcesi, tamquam Diœcesis Patroni, transferenda est ejus Solemnitas.

Q. 270. In quo consistit illa Solemnitatis translatio ?

R. Solemnitatis translatio consistit in eo, quod 1º obligatio feriationis, seu audiendi Sacrum et abstinendi ab operibus servilibus, translata sit in Dominicam non impeditam quæ Festum hujusmodi proxime sequitur ; — 2º in eadem Dominica Missa unica solemnis, vel cantata celebranda est de Festo, cujus Solemnitas translata est ; eo fine, ut a populo debite colantur die Dominico illa Festa, quorum feriatio supprimitur in eorum die proprio.

Et hic notandum est quod, si in quibusdam locis, uti in pluribus nostræ Diœcesis fit, hæc Festa quatuor a populo etiam colantur et serventur ex devotione, quemadmodum ante Indultum, in suis propriis diebus, ideo tamen non liceat Missam Solemnitatis in Dominica proxime sequenti omittere ; sed standum omnino sit Indulto, et nihilominus debeat in illa Dominica peragi Solemnitas. Ita plures declaravit faciendum S. Rituum Congregatio, et recenter etiam confirmavit. (Decret. 6 Martii 1896, n. 3890, ad 4.)

Nota. I. In quibusdam locis eadem Dominica Solemnitatis etiam solemniter cantantur Vesperæ ; nihil obstat ; sed animadvertisendum est quod, si Vesperæ cantantur de Festo cuius Solemnitas agitur, non omitti possunt Vesperæ Officii currentis, ubi adest obligatio (Decret S. Rituum Congregationis, 30 Januarii 1878, n. 3441, antiq. 5719) ; et quod omnes Clerici in

**250 (Q. 271) De Missis in Solemnitatibus**

Sacris constituti et Officio divino addicti tenentur in casu adhuc ad recitandas privatim, si non fuerint cantatae, Vespertas de Festo occurrente; quia Vesperæ de Solemnitate translata solum devotionis gratia permittuntur. (Decret. 18 Maii 1878, n. 3450, antiq. 5731.)

NOTA. II. Quomodo Solemnitas sit instituenda pro Festis Epiphaniæ, SS. Corporis Christi, et SS. Apostolorum Petri et Pauli, quotannis adnotatur in Directorio seu Ordine Dicecesano Officiorum; sed pro Solemnitate Patroni loci, unusquisque Parochus vel Rector debet ipse ordinare, quæ in hunc finem agenda sunt in sua Ecclesia vel Oratorio. In Directorio Dicecesano indicatur quidem Solemnitas S. Rumoldi, Civitatis Mechliniensis Patroni; sed quæ ibi indicantur juvant exclusive clerum hujus Civitatis. Ideo uniuscujusque interest nosse regulas in sequentiibus Quæstionibus traditas pro debita institutione Solemnitatis proprii Patroni loci.

Animadvertere juvat quod S. Rituum Congregatio rem opportunam judicavit, pro Ecclesiarum omnium quibus Indultum Solemnitatis favet utilitate, plura declarare ac definire, et antea resoluta resumere per « Decretum declarationis Indulti pro Solemnitate Festorum transferenda », 2 Decembris 1891 (n. 3754); quod Decretum anno 1900 tantum publici juris factum fuit in nova editione Collectionis Decretorum.

**Q. 271. Quomodo celebrari debet Missa Solemnitatis horum Festorum translatae in Dominicam?**

R. Ex responso Cardinalis Caprara, 21 Junii 1804, et ex variis Decretis S. Congregationis Rituum, sequentia statui possunt de Missa Solemnitatis horum quatuor Festorum:

1º In Ecclesiis parochialibus, et in Oratoriis publicis, in quibus Missa de more in Festis cantatur, debet unica Missa solemnis de Festo quoad Solemnitatem translato more votivo cantari; Officium vero, tam publice quam privatim, et reliquæ Missæ in tali Dominicâ celebratæ, non possunt dici de Solemnitate translata, sed dicuntur juxta consuetum ordinem, de Officio occurrente in illa Dominicâ.

NOTA. Hæc Missa non potest esse lecta, sed debet esse solemnis, aut saltem cantata. (Decret. 6 Septembris 1890, n. 3735, ad 1.)

2º In hac Missa dicitur *Gloria*, et *Credo*; et in Missa

**De Missis in Solemnitatibus (Q. 272) 251**

Solemnitatis SS. Sacramenti dicitur et cantatur Sequentia *Lauda Sion*, ut in ipso Festo.

3º In hac Missa dicitur una tantum Oratio, et Commemoraciones quæcumque omittuntur. — Attamen in iis Ecclesiis ubi non adest Missæ Conventualis obligatio, ergo in omnibus nostræ Diœcesis Ecclesiis parochialibus, additur sola Commemoratio Dominicæ sub distincta conclusione. — Ubi vero alia Missa Conventualis de Officio occurrente celebratur, nempe in Ecclesiis Cathedralibus et Collegiatis, in Missa Solemnitatis omittitur Dominicæ Commemoratio, quia Dominicæ Oratio dicitur in altera Missa. (Decret. 2 Decembris 1891, n. 3754, ad 2.)

NOTA. In Missa Solemnitatis SS. Apostolorum Petri et Pauli non dicenda est Commemoratio Omnia SS. Apostolorum, quæ fit in ipso Festo SS. Petri et Pauli, et de qua agitur Q. 79, Nota II.

4º Præfatio dicitur propria Festi; si vero Patronus loci non habeat Præfationem propriam, dicitur Præfatio, vel de Octava currente, vel de Tempore, vel de SS. Trinitate. (Decret. 10 Februarii 1888, n. 3683.)

5º In fine dicitur Evangelium Dominicæ occurrentis, in iis Ecclesiis ubi facta fuit Dominicæ Commemoratio; in aliis vero dicitur Initium Evangelii S. Joannis.

**Q. 272. An Solemnitas supradictorum Festorum etiam transferenda est, quando illa Festa incident in Dominicam? Explica.**

R. Casus haberi potest pro Festis Epiphaniæ, SS. Apostolorum Petri et Pauli, et Patroni loci.

1º Si Festa Epiphaniæ (6 Januarii), et SS. Apostolorum Petri et Pauli (29 Junii) incident aliquo anno in Dominicam, celebrantur necessario cum feriatione in proprio suo die, et Solemnitas non est transferenda; ideoque Missa cantatur de Festo. In Festo SS. Apostolorum Petri et Pauli fit Commemoratio Dominicæ, ac dicitur ejus Evangelium in fine. (De Commemoratione Omnia SS. Apostolorum vide Q. 79, Nota II.)

2º Si Festum Patroni loci incidit in aliquam ex Dominicis primæ classis (Dominica Palmarum excepta), nempe in Dominicam I Adventus, Dominicam I Qua-